



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 19. Middelburgensis, & Ruremundanus Episcopi Jesuitis faventes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

in super Facultas Lovaniensis, ut semper quantum penes illam staret, sanam, eamque perpetuam circa hosce articulos controversos doctrinam in animis conservaret, Academiæ impensis publicam Cathedram ad confutandas Lessii opiniones instituit, dotavitque, hoc autem munus Jacobo Janfonio demandabat, qui in quodam oppido prope Amstellodamum natus Lovanii Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo quarto unacum Henrico Cuickio Doctoratus Laurea insignitus erat, atque aliunde accerrimus Lessianæ doctrinæ adversarius, Michaeli autem Bajo in paucis carus, qui etiam celebris Janfenii Yprensis Episcopi Magister erat.

Sæcul XVI.
A. C. 1587.

Hist. Controv. de aux.
l. I. c. 7.
pag. 16.

§. XIX.

*Middelburgensis, & Ruremundanus
Episcopi Jesuitis faventes.*

Die decima septima Novembris hoc anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo septimo Joannes Styrenus Middelburgensis Episcopus, qui a Protestantibus Sede sua pulsus Lovanium fugerat, ibidemque Regii Collegii Præses erat, Jesuitas defendendos suscepit, hacque super re ad Lindanum Ruremundanum Episcopum perscripsit, eo fine, ut hunc quo-

Epist. Styreni Ep.
Midd. ad Lind. Episc.
Kure 4. Dec. 1587. & vicissim die 12. Dec. 1787.

Sæcul. XVI.
A.C. 1587.

quoque ad sua studia pertraheret: cum vero Lindanus Doctorum judicio præventus, ab initio Styreni rationibus cedere recusaret, hic die quarta Decembris scriptum quoddam ad eundem transmisit in binas columnas divisum, in quarum una damnatas propositiones, in altera vero assertiones avitas Lovaniensis Scholæ doctrinis consonas exponebat, rogans, ut utramque doctrinam inter se conferre vellet. Lindanus re utrinque discussa ambas contendentium partes conciliandi medium esse excogitandum censebat: id vero eo facilius præstari posse significabat, si pauca quædam verba, vel quædam propositiones ambiguae omitterentur, cum ergo Styrenus hunc Præsulem suæ opinioni non adeo adversum, ac Societati propensum cerneret, hanc confessionem eidem gratulaturus denuo ad illum literas dedit.

§. XX.

*Alia Duacensis Facultatis Theologica
censura contra Lessium.*

*Cens. Facult.
Lov. 88
Duac. edit.
Paris. 1641.
pag. 21.* Hæc cum interea gererentur, Facultas Theologica Duacensis pariter suam censuram pronuntiabat vehementioribus conceptam verbis, quam antea Lovaniensis